

nostre ecclesie sunt annexe — — ecclesia sancti Iohannis baptiste monachorum in Machedheburg — —.

*Original im Staatsarchiv zu Hannover.*

1230.

83.

*Wilbrand, Dompropst zu Magdeburg, publicirt eine Urkunde des Erzbischofs Albrecht zu Magdeburg vom Jahre 1230 über die mit Bewilligung des Abtes Bertram zu Berge u. a. geschehene Exemption des Kirche zu Mezstede von ihrer Mutterkirche zu Wolmirsleben.*

Wildebrandus dei gratia prepositus Magdeburgensis. Cum de nostro consensu et voluntate super exemptione ecclesie in Mezstede processum sit sub hac forma:

In nomine sancte et individue trinitatis. Albertus dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus. Cum animarum commodis officii nostri sit intendere earumque pericula quantum possumus auxiliante domino volumus precavere, significatum itaque nobis est quod ecclesia in Mezstede tantum ab ecclesia Wulmersleve matrice sua distet quod earum plebanus ex nimia locorum distantia aliquotiens graviter est afflictus et cives ecclesie utriusque sepius exinde sunt neglecti. Hinc est quod ex consensu et voluntate venerabilium virorum Bertrammi abbatis sancti Iohannis in monte, Wildebrandi fratris nostri dilecti, maioris ecclesie nostre prepositi, Friderici decani, supra dictarum ecclesiarum archidiaconi, necnon Heinrici plebani in Wulmersleve, ecclesiam in Mezstede ab ecclesia Wulmersleve eximimus conferentes ei eodem iure quo alie gaudent ecclesie perfrui libertatis, cuius donatio ad maioris ecclesie nostre prepositum pertinebit, hoc adiecto quod cives in Mezstede plebano in Wulmersleve decem solidos in recompensationem exemptionis in<sup>1</sup> suo plebano in Mezstede decem solidos ac de quolibet manso duos modios siliginis quorum sex quadrantem faciant singulis annis dabunt, donec plebano in Wulmersleve decem solidos assignent in certis redditibus et suo sacerdoti in Mezstede sicut est superius memoratum. Vt autem hec nostra donatio et constitutio circa ipsam ecclesiam rata permaneat et firma, sub anathematis interminatione auctoritate qua fungimur districtius inhibemus ut nullus omnino contra eam venire presumat aliquo modo. Super qua presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Testes huius rei sunt Wernerus prepositus de Hunoldisburch, Ludolfus de Svanebeke scolasticus Maguntinus ac ecclesie nostre capitulum universum. Acta sunt hec Magdebure anno dominice incarnationis MCCXXX, pontificatus vero nostri anno XXIII.

recognoscimus et presenti scripto profiteamur quod cives idem ea que promiserant impleverunt pro modis in quibus sacerdoti suo fuerant obligati, mansum unum in eadem villa situm suis denariis comparantes